Bieżanowski Stanisł. Jos: Aurifodina sapientiae
in Bibliotheca Almae Univers. Cracov. —


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002529

AVRIFODINA SAPIENTIÆ,

in Bibliotheca ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS,
nouo immortalis beneficij genere,

AB

JLLVSTRISSIMO,
& REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANDREA

DE OLSZOWA

OLSZOWSKI,

Dei, & Sedis Apostolicæ Gratiâ,
EPISCOPO CVLMENSI, & Pomesaniæ,
Regni Poloniæ PROCANCELLARIO,
Literarum, & Literatorum Mecænate Amplissimo,
Vsui publico munificentissimè

APERTA,

& in solenni sua Apertione,
perennis memoriæ, & gratitudinis ergò,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI, Philosophiæ Doctore, Collega Minore,
Ordinario Pòëseos PROFESSORE,


Rei literariæ publico Nomine

celebrata.

Anno Sapientiæ Incarnatæ, 1671. Die 13. Maij.

CRACOVIÆ,
In Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typograph.

IN GENTILITIUM INSIGNE.
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,



Vt Tibi cor Patriæ, cor magni Principis, vtq;
Dulce tuum cunctis, cor sine felle patet;
Sic decuit, per Te Celsissime Præsul, aperta,
Vt fieret doctis, Bibliotheca viris.

CASIMIRUS de Tęczyn TARŁO, Palatinides Sandomiriensis, Philosophiæ Auditor.

Quæ fuerat collecta diu sementis, ab omni
Ætatis serie, totq; repostâ libris;
Felices animæ, quibus est sapientia cordi,
Plaudite, falcibus his, aurea messis erit.

SIGISMUNDUS COMES, à DONHOFF, Capitaneides Vielunensis, Philosophiæ Auditor.



AVRIFODINA SAPIENTIÆ.

ARcanum Sapientiæ, quàm diu non patet,
auri vena est, sed non FODINA.
Natura quidem auaras mentes fugiens,
cimelia sua, gemmasq;, in visceribus abdidit;
fundum Margaritis, in profundo Oceani dedit;
diuitiarum suarum, quantumuis in abdito, tam secura, tenaxq;;
vt nisi inuadentibus, thesauros suos in Venis metallicis reserasset;
ipsa etiam viscera, inter fodientium, Scrutantiumq; operas amisisset.
Itum est vbiq; in venas eius;
Dissectaq; compage, quod negauit integra, lacera dedit:
adeòq; iam migrauit in cauernas eius, pars hominum maxima;
dum tædet mortales, vitam hominum agere; nisi cuniculi etiam, talpæq; fiãt.
quas tamen vsus fodinas primùm fecit;
fecit abusus voragines;
qui cum omnia euiscerat, omnia absorbet;
omnia iterum tantò funestiùs abdidit,
dum ex sinu naturæ, transtulit ad auaritiæ sordes.
Alius Sapientiæ genius est.
capacissimos amat, etiam auarissimos ambit.
Sitim hîc Tantaliam, Euclionumq; abyssos, si attuleris;
postquàm impleuerit omnia, nihil illi de fonte suo decedet.
Timor eam, ne deficiat, aut vsu profanetur, ad latebras non vrget:
contra vtrumq;, etiam in plano, publicoq;, inexhausta, & diuina est.
Impleuit orbem.
& adhuc plenum cornu Amaltheæ gerit.
Secula vicit, & annos noncomputat.
ingenia, & Atlantes eruditionis fatigauit, nec mole succubuit:
in omnes se diuisit, & adhuc omnium Pandora est:
diuitiarum suarum, in aureas mentes prodiga, à tot seculis venas, & viscera fudit;
& adhuc AVRIFODINA esse non desiit.

Et tamen

Eſt tamen ſecretiùs aliquid;
quod interdum intra cortinam hæreat, vſumq; ſui differat.
Res nimirum diuina,
inuentores ſuos, ex facili, haud promiſcuò, haud patitur;
quæ vt naſceretur etiam ex ſelectiſſimis, Iouis cerebrum in vterum vertit.
Ab omni ſeculo quæſita, ijs vbiq; diſparuit,
quibus cùm ex Promethei virga, cæleſtes ſcintillæ venerint nullæ;
informia Pyrrhæ ſaxa,
lapides nempe ſupra lapidem, dicto Ariſtippi, in theatro ſedent.
Mentibus cultiſsimis amica, gloriæq; domina, non ſerua;
cùm honorem ſuum delicatiùs tuetur, in eo delicatiſsimè,
ne ſe digito alijs commonſtrent;
qui mente pariter, manuq; aureâ carent.
vtramq; in Te,
Literatiſsimi ſeculi, & calami gemma,
ingeniorum amuſsis, eruditæ gloriæ apex,
Magne Culmenſis Antiſtes, Regniq; Vice-Cancellarie,
ANDREA OLSZOWSKI,
Sapientia, quæ domi Tuæ Rex eſt, vidit;
Vtramq;, ad delicium ſuum pertinere cenſuit.
Diu quidem elaborauit,
vt in Te, ſeculo Noſtro, aureum ad oracula ſua tripodem, formaret.
Sed Aurifodinam quoq; Tibi,
aurearum mentium, venas omnes ſcrutata,
longiſsimo temporum tractu, ita collegit, ſeruauitq;;
vt cùm in omnium oculos palàm incurreret;
Soli Tibi, ocello ſapientum,
Semel viſa, æternùm dilecta,
pretium ſui, & vſum, quo in publicum tranſiret,
diù celato arcano reuelaret.
adeò non omnium eſt, communi bono poſſe ſapere;
& quod diù, vel è longinquo, corriuatum eſt,
ſemel intueri, ſemper facere fontem.
Debebatur hæc erudita felicitas, illi genio;
qui nouam ex vetuſtiſsimi ſeculi ritu,
Regum in Patria Aurifodinam inuenit;
docuitq;

docuitq; Poloniam, pro coronato capite alibi curiosam,
domi suæsapere:
vt nouam in vetustissimâ Academiæ Bibliotheca,
bono publico Aurifodinam reserans;
vtrasq; &Regum,&Sapientiæ,domi coronas nasci edocens,
domi populorum, & animorum Reges faceret.
Nimirùm
ad quem dactiliotheca IAGELLONII sanguinis,
Ne coronatum monile, alieno capiti reseraret,
Sub inuestigabili secreto pertinuit;
Bibliotheca quoq; Vniuersitatis IAGELLONIÆ,
vt quod diu, ex vetusta ætate collegerat,
Sub nouo tandem, IAGELLONII Sanguinis recursu,
in vsus publicos produceret, spectauit.
ita diù celato artificio, ab eadem manu,
& ad Regni fasces, & ad Sapientiæ fastos,
folia Sibyllæ aperta sunt.
Celsitudo hæc animi TVI,
Præsul Sapientissime,
quòd primitias beneficentiæ, in BIBLIOTHECÆ apertione elegeris;
Supra Naturæ, & Orbis senium, viuida est.
Claudi passim omnia, claudicareq;,
ceu Vulcani femur vbiq; hæsitet, videmus.
Rugas passim notabiles, manusq; tremulas,
& sordidũ illud, capulareq; seculi dedecus, quod frontem ingenuam amisit;
Musæ fugiunt, Gratiæ auersantur.
Augustos, Mæcenates, Alphonsos,
Natura ceu parere desueuerit;
fœdos Liciniorum abortus, vbiq; proijcit:
qui non splendorem BIBLIOTHECIS, sed ignem & faces;
quod Labieno, qui ob summam scriptorum mordacitatem,
rabies dictus fuerat, Nouo Romæ supplicio contigit,
Libentiùs præferent.
Solem Tu ijs, animam, vitam,
eo Spiritu, eo cœlesti vigore, lumine, stimulo;
vt nisi beneficentiæ Tuæ, vis hæc calentissima,
B rigidum

rigidum, quocum Sarmatæ coflictamur, pectus ad literas animet;
non verba hic tantum, vocesq;, vt in fabulosis Moscuæ frigoribus;
Sed animas quoq; ipsas congelari, haud frustrà crediderim.
In spem adhuc optimam, res literaria assurgit;
cùm sapientia, in ea quam sibi ædificauit domo;
ferreâ ætate, portam auream pandit;
vt superesse adhuc, bonarum mentium ab aureo æuo fragmenta,
Læti discamus;
quando Regina mentium, è Secreto Maiestatis, vltra vestibulum progressa;
non inuitat tantùm selectiores animos, sed vrget.
Hoc demum est,
contrà vulgares profectus, quibus modici ex triuio sensus,
ingens literatura;
& duo, tresue, qui in locorum communium enchiridion abiêre, Libelli,
eruditionis alpha & omega sunt;
Magno in publicum, exactissimi profectûs desiderio niti;
ne vitium seculi vocemus, quod oscitantia est.
Ne ad nauseam vsq;, exculti Nobis, literatiq; helluones videamur,
cùm ne numerum quidem librorum, absq; tædio ferre possimus;
quorum vel solum Didymum Grammaticum, Bibliolatam dictum,
ampliùs quam tria millia concinnasse, nauseæ nostræ pudor est.
Ægyptios, Gymnosophistas, Abyssinos,
Sapientiæ studio visere non cogimur.
Platani, aut fraxini, aceris, aut tiliæ cortices,
palmæ folia, ceratæ tabellæ, plumbeaq; volumina,
eruditos non onerant.
in sindonibus fullatis, coloratas, vt Brachmanes fecêre
non ducimus literas.
non cum Babylonijs, coctilibus laterculis;
non cum Cleanthe, quod à Zenone audierat,
In tegula, osse adnotamus?
lapidesq; nobis, cum incisis Phoenicum literis, non dissiliunt.
Agit nobiscum sapientia, summâ facilitate;
vt feliciter doctos, etiam inuitos faciat.
Aurea Hesperidum mala, peruigili belluæ;
Phrygium vellus, flammeis excubijs, dentatæq; sementi,
Vt non pateret omnibus, creditum.
AVRIFODINA SAPIENTIÆ, excubias omnes soluit;
vltrò

vltrò se aperit, & offert;
eum Te, Magne Præsul, Mecænatem nacta,
qui ceu lapis Philosophicus, omnia quæ tetigeris;
non Midæ, sed immenso profectus publici voto,
in aurum Sapientiæ mutas.
Bibliothecæ vsum, quòd impensiùs dilexeris,
viua in Te Bibliotheca fecit.
non poteras dissimulasse, id quod totus es;
non poteras aureâ id claue, non aperire;
quod pridem in Te reserasti.
collegisti in Te prius, quod collectum in aliis velles;
ante apertionem Bibliothecæ, magna iam ipse eruditorum collectio,
quæ toties in publico, cardines suos rupit.
Tune intrà cancellos patereris nùmen illud?
quod ProCancellarius Regni, vltrà omnes cultissimarum gentium cancellos,
ore, & calamo promouisti?
Heroica animi Tui magnitudo,
vt Regum solia, consilio firmat;
ita Regiarum opum, & mentium basilicum opus,
archiuia sapientiæ, domosq;, Bibliothecas aperit.
Diuina hæc, immortalium operum, sitis est;
quâ Regum decus, non æmularis ad gloriam, sed vsum.
Sudauit in hoc genere ætas omnis;
vt Diuinos eruditarum frontium sudores,
non leues, deciduasq; guttas; sed aureum Iouis imbrem faceret, æstimaretq;
Profusissimi in hæc dispendia, excessêre nunquam:
qui pro hoc maximo Orbis talento, vtinam talenta omnia prodegissent.
Aureos cineri mortalium loculos prouidemus;
Mausolea tollimus, lucernas sepulchrorum inextinctas accendimus.
Animorum sensus immortales,
& quod, ex Diuinitatis portione selectissimum habuêre,
translatum in literas, quidni selectissima terræ portio ambiat?
pretiosa, quàm spurcissima hominum scoria inhabitauit,
aureæ Neronis domûs laquearia,
Nobilissimi dignitatem metalli contaminarunt.
Animorum hæc palatia, Sapientiæq; potiùs triclinia sunto:
quando nunquàm gemmis, & auro feliciùs successit,
quàm cùm Diuina Homeri, in Darij arcam, Ilias venit.
Quicquid in ea, Persicus ante condiderat luxus,
indi-

indignum patellâ operculum fuit.
Scitè admodùm, quanquam inter clafsica, rem tetigit Macedo;
cùm Mæonij Vatis carmen sapiens, ceu gemmã posuit inter gemmas.
Hic illi locus, & omnibus;
qui quod derogarunt vitæ, prorogarunt sapientiæ;
Regio Viri animo,
digniq̀ue, vt posthuma eorum opera, Regia præcipuè cura fierent.
Attalus hoc egit,
Vetustifsima Pergami in Vrbe Troadis BIBLIOTHECÂ;
in qua ritu illius seculi, quanquàm hoedinis sapientiam credidit monumentis,
vellus omne aureum superauit.
Ptolomæus Philadelphus, Alexandrinâ Æpypti,
ampliùs quàm ducentis librorum, millibus instructâ,
plus de immortalitate meruit;
quàm si Gaditanos, & Indos, & quicquid inter hos gentium, terrarumq; interiacet,
ad nutum imperij, vnâ manu frenasset.
rudimentum Asinij Pollionis, quod conseruandis vatum diuinis operibus,
Romæ primus tentauerat;
Magno post tot secula profectu, ad vsq; Sacrum,
BIBLIOTHECÆ Vaticanæ fastigium procefsit.
Loquitur hîc vniuersale, in suis Authographis, orbis idioma;
gaudentq; Sapientiæ Proceres, quòd easdem, quibus cælum aperitur, depositi sui claues habeant.
quando sacrorum in Regno Ecclesiæ Principes, principem sapientiæ, post religionis arcana, curam ;
quam semper in pretio habuerunt, etiam in delicijs habent.
Curam hanc, vt inter diuiniores, orbis censeat;
ipsa etiam Diuinitas,
BIBLIOTHECAM, in arca Mosaica, tabulis & literis dedit;
exquisito vtiq; artificio, & sumptu;
quam, vt affabre facta fieret, Deus ipse Architectus dimensus,
ex auro mundifsimo, Cherubicis etiam custodiendam alis mandauit.
Opus ergo diuinum, immortali beneficio prosequeris;
Magna olim & ipse, immortalium operũ, materies & occasio futurus,
Præsul Munificentifsime.
Omne deinceps seculum, Nomini Tuo assurget;
quòd prouidere volueris, ne animorum indoles iaceat;
dum queritur, quod ad Sapientiæ oracula non assurgat.
Transibis in imas pectorum medullas, toties erudito spiritu tractus;
quoties Bibliothecæ, in vsus publicos apertiùs spiranti, animam Te dedisse,
grata posterorum memoria recordabitur.
Alimentum hoc munificentiæ Tuæ,

in sub-

in substantiam alitæ eruditionis, dum conuertetur;
Nunquam cessabis orbi viuere; quia vitales legentium spiritus,
Nunquam cessabis habere.
Romanus sapiens, non posse dari beneficium sapienti censuit;
cui quicquid dederis, de suo accipit.
De Tuo Sapientia accipere non erubescit.
quòd in eam quicquid contuleris, commune tecum habeat.
Quin & gratias Tibi agere cupientes,
felix gratiarum inopia nos conficit;
nisi enim de Tuo pectore, quarum sedes est, Gratiæ nobis venerint;
Nostræ gratiam omnem amittent.
pro gratia igitur, quam non assequimur,
Tu ipse Tibi gratiarum actio, Tu eloquentia sis.
Dignissima Te gratiudo, sola & vnica est;
Nos ad gratiam Tuam, nihil dignè posse.
Os aureum Reipublicæ cum sis,
Aurifodina Tua de Te loquatur;
Non quod literas, vt olim Cadmus Græcis,
Memnon Ægyptijs, Rhadamanthus Assyrijs, Hercules Phrygibus,
Carmenta Latinis; sed modum,
per quem literatissimo seculo, sapientia ampliùs proficeret, inueneris.
proficiet vsq; ad vastam gloriæ Tuæ Bibliothecam;
quâ cùm Orbem impleueris;
omniumq; ætatum laudes exhauseris, & gratias;
incomparabilis Tua
bonitas, Sapientia, virtus,
faciet Te inexhaustam,
boni publici
AVRIFODINAM.



 GRATI-

GRATITVDO LYRICA.



DAmnata ferro, cedite secula,
Inominatis cusa rigoribus,
Lemni repercussæ sub antris,
Quæ valido gemuistis ictu;
Sæuus trecentos dum per anhelitus,
Incude Brontes sudat in ardua;
Mundi senescentisque probra,
Heu sterili repetit metallo!
Vulcane, tecum cum Siculis procul,
Ferrata moles, exulet ignibus:
Beatioris rursus æui,
Flos rediit, riguoq; ducta
Ætas ab auro. iamque micantium,
Coruscat orbi Sarmatico, noua
Fodina venarum, togati
Præsuleâ reserante dextrâ
Auri profundum. Iane quid inuidam
Frontem retorques, orbis ad vltima?
Tecumq; falcatus, quid vrget
E Latio Pater, emicantis
Venam fodinæ? prisca nitentibus
Non omne fulgur temporis aurei,
Ætas quadrigis, cum fugaci
Sorte tulit. pretium beati,
Nec omne ferro vindice seculi,
Rerum senectus vltima concidit.
Imus coronati nepotes
Flore nouo, seriemq; contra
Naturæ, & vsum, reddimur aureæ
Orbis iuuentæ! quando sub Arctici
Gemma Trionis, grande Musis
Surgit opus melioris æui;
Gemuntq; fractæ munificâ manu
Rerum catenæ; docta micantibus
Prodire fragmentis, vt ætas
In faciem queat eruditam.
At literatis dulce laboribus
Nomen quod illud? quis radiantium
Fons iste venarum? quis istud
Decidui graue pondus auri,

Plenos in vſus fundit? & optimis
Largitur vltro mentibus? aureum!
O nomen! o dextræ beatas
Noſcimus OLSZOVIÆ procellas!
Diuinitatis portio maxima,
Te PRÆSVL vrget; quod ſapientiæ
Arcana Maieſtas, decuſque,
Latiùs vt pateat, per vſus
Aperta doctos, cura Tibi Sacrum
Pectus fatiget. vim Tibi cernimus
Feciſſe amorem, literato
Pectore, qui violentus ardet,
Imaſque Sacri fomitis ignibus,
Coquit medullas; queîs ſapientiæ
Diuinus Antiſtes, Atlaſque
Pro genio ſapiente zelas.
Auguſta Regum, non Tibi grandibus
Firmaſſe curis Sceptra; nec æmulos
Viciſſe conflictus tonantûm,
Regna ſuper, populoſque Lechi,
Ab orbe vaſto gentium, & arduos
Domi labores ſufficit; vt ſuum
Elector admiratus ipſe
Sarmata, non caperet latentis
Opus Secreti; dum CORIBVTEVS
Signatur alto ſanguis ab æthere;
Votoque cenſuræ beato,
Sarmaticos meruiſſe faſces
Cenſetur. vt iam reſtet in entheo
Haud vlla Delphis gloria flamine;
Si de coronarum ſecreto,
Vis animi ſapientis, altos
Cæli receſſus pandit, & in Tua
Magni ſtatera iudicij, ſacræ
Momenta decernit coronæ;
O animi decus eminentis!
O PRÆSVL alti pectoris! vt Tibi
Faſtigiato culmine Cæſarum,
Cæſar LEOPOLDVS, potentis
Imperij caput, Auſtrijque
Cor dulce Regni, fœdera ſanguinis,
Et Lechicarum credita gentium
Probauit, auguſtoque ſuadam
Ore loqui ſtupuit Polonam.

Heroa sed mens, tot meritis licet,
Effusa caræ viscera Lechiæ
Impendat; & totis anhelet
Ferre manum, Patriæ medullis;
Commune necdum, se satis æstimat
Bonum, tot actis, totq; laboribus,
Iuuisse; nî sumptus, modosq;
Inueniat, quibus ampliori
Communicatæ vis Sapientiæ,
Assurgat vsu. quàm calor hîc Tuus
Diuinus, immortalis, & quàm
Impatiens! nisi Diua Pallas,
Triumphet; & nî res IAGELONII
Eat Lycei celsiùs ad Tuos
Hæremus affectus. nec ipsi
Delicium satis æstimare
Nostrum valemus; quod capere arduum est.
Sed gratiarum munere prosequi,
Orbiq;, victurisq; seclis
Posse loqui, superest facultas,
Haud vlla nobis. vos ego publicis,
Inserta cælo Nomina plausibus,
Antistitesq; literati,
Vos Proceres sapientis æui,
Ab vsq; Olympi sedibus Vrgeo,
Ad gratiarum Maxima Præsuli
Soluenda, quæ viuos, tributa
Deficiunt. paribusq; nunquam,
Insigne nomen tollere laudibus,
Æternitati Palladiæ valent.
Vos ite, vos Orbi, stupete,
Vt patet AVRIFODINA vestris,
Beata gazis; milleq; ditibus
Aperta venis, riteq; publicos
Dicata ad vsus. vos honori
OLSZOVIO, Sapientiæq;
Plausus, triumphos, carmina, grandinem,
Manuq; plenâ liligeram date,
Fontem coronantes. vt orbi
Sarmatico, Patriæq; viuat
Musarum ocellus, corculum, & aureus
Sol literarum, par sibi, & vnicus
Encomiastes, omniumq;
Maxima Bibliotheca laudum.